

Ce texte a été établi à partir de deux éditions de l'oeuvre poétique de Buchanan : celle publiée à Amsterdam en 1641 chez Johannes Iansonium et celle, hollandaise également, parue chez Arnoldus Langerak, en 1725.

IN ANTONIUM TOMARIUM ABBATEM.

F_1 v.1 O fama, prisca laudibus saeculi tumens,
 2 praesens superbo despuens fastidio,
 3 accede, specta quid priorum temporum
 4 opponat aetas nostra magniloquentiae ;
 5 non quod Platoni, rancidove Socrati,
 6 sophisque falso dictitaris comparet,
 7 sed Christianae puritatis unicum
 8 exemplar, unum specimen, unam imaginem,
 9 unamque vitae corrigendae regulam,
 10 unumque Christi proxime vestigia
 11 qui persequatur, indicetque ceteris,
 12 vitamque vita penitus exprimat sua,
 13 Antonium Tomarianum Antistitem.
 14 Christi parentum nemo vidit alterum,
 15 nec ipsa mater novit Antonii patrem
 16 uterque pastor, noster hac parte est prior ;
 17 hic pascit herbis, ille verbis paverat.
 18 Ut quinque panibus ille quique millia
 19 saturavit, iste (ne saturitas noxia
 20 animae inquinaret puritatem, ut arbitror,)
 21 ad quique panes quinque plebis millia
 22 redegit ; ut, si quid supersit, ut reor,
 23 fragmenta posset absque cophino tollere.
 24 Ut ille vera vitis, hic verus meri
 25 est uter : ille verba sevit, hic viros.
 26 Piscator hic, piscator ille, retia
 27 uterque tendit dispari compendio :
 28 comprehendit ille pauculos pauperculos,
 29 at iste claustra plena monachis pinguibus.
 30 Aucupibus hic est atque venatoribus
 31 comitatus, olim ut ille piscatoribus.
 32 Et hic et ille crediti cum fenore
 33 exactor asper, dena utrique altera decem
 34 talenta, quinque quinque pariunt altera.
 35 Quae sparsit alius, hic et ille colligit ;
 36 quae sevit alius, hic et ille demetit.
 37 Cum publicanis atque peccatoribus

38 sic ratio nostro semper est Antonio,
 39 ut paene decoris immemor, lucri memor,
 40 publicanus esse non recuset. Pauperum
 41 secuta Christum turba semper est comes,
 42 at iste late quam patet vicinia,
 43 agris propinquos pauperes reddit suis,
 44 quorum caterva, qua nequit pedibus sequi,
 45 diris probisque sequitur et conviciis.
 46 Christi perunxit una peccatrix caput,
 47 pedesque lacrimis lavit, extersit comis :
 48 istius humeros, colla, pectus, brachia,
 49 caput, pedesque et crura, ventrem et ilia,
 50 si scire cupias quot meretrices lavent,
 51 tergant, refoveant, induant et exuant,
 52 scies facilius quot capillos verticis
 53 ex area alba tonsor ille demetat.
 54 Christus paternam jam revisurus domum,
 55 monachis tuendum pinguibus gregem dedit.
 56 Passim per agros jam cucullati patres
 57 oves sequuntur, et, colono paupere
 58 cum prole pulso sordida, late solum
 59 pastore monacho, paret uni Antonio,
 60 ut per propinqua rura grex sit unius,
 61 et unum ovile, et pastor unus. Unica
 62 sed pars omissa est, unicam quam maxime
 63 agere decebat : Christus immerito ut luit,
 64 sic iste merito luere poenas debuit.
 65 Sed justa si quid vota pauperum valent,
 66 quos laribus inopes expulit, sontem hae manent
 67 inter comantes angue torto Erinnyas.

IN BELEAGONEM.

F_2 v.1 Beleago fomes et parens mendacii,
 2 ab ore cujus pavida veritas fugit,
 3 mali susurrat nescio quid clanculum ;
 4 at fama de illo non susurrat, sed palam
 5 hoc universus populus affirmat, quod est
 6 Beleago fomes et parens mendacii,
 7 ab ore cujus pavida veritas fugit.
 8 Hoc igitur aequus aestimator judicet,
 9 an mentiatur populus universus, an
 10 Beleago fomes et parens mendacii,
 11 ab ore cujus pavida veritas fugit.

IMAGO AD PEREGRE VENIENTES RELIGIONIS ERGO.

F_3 v.1 Fare age qui terras lustras vagus hospes et undas,
 2 quid petis hinc ? Longae quae tibi causa viae ?
 3 Non Deus hic quisquam, nec imagine numen in ista est,
 4 nos lapis et tantum putria ligna sumus ;
 5 vermibus esca, cibus tineis, domus hospita blattis,
 6 opprobrium caeli, ludibriumque soli.
 7 Non capiunt humiles numen caeleste penates,

8 structa nec humana saxea tecta manu.
 9 Quem mare, quem tellus, quem non capit igneus aether,
 10 clauditur in nullo spiritus ille loco.
 11 Ut Christum invenies, animi secreta revolve,
 12 aut lege fatidici quae cecinere patres ;
 13 aut quae dives habet passim circumspice mundus,
 14 haec vera est aedes, hoc penetrale Dei.
 15 At quisquis picto gaudet dare basia trunco,
 16 crassaque pulvereo lingere saxa croco,
 17 dignus morte perit, qui mortua vivus adorat,
 18 et vitae in fragili spem sibi ponit humo.
 19 Si te picta juvant, cariem ne perline trunci,
 20 sed vera mentem simplicitate tuam,
 21 hac ratione domi poteris reperire, quod omnes
 22 erro vagus terras suc peragrando fugis.

AD PASQUILLUM.

F_4 v.1 Praesule de Paulo, praesul doctissime vatum,
 2 Pasquille, dic quid sentias ?
 3 Nec melius paullo quidquam est antistite Paulo,
 4 et pejus est Paulo nihil.

AD ELIZABETHAM SERENISSIMAM ANGLIAE REGINAM, ODE.

F_5 v.1 Quamvis vetusto stemmate splendeas,
 2 regina, Princeps optima Principum,
 3 quacumque magnum sol per orbem
 4 flammiferos agitat jugales ;
 5 quamvis feroci Marte subegeris
 6 hostes rebelles, et populi feros
 7 motus, et insanos tumultus
 8 lenieris, sine caede, victrix ;
 9 virtutis inter tot titulos tuae,
 10 et sempiternas fulget adoreas,
 11 de fauce avarorum latronum
 12 relligio pia vindicata.
 13 Jam nulla saxis figimus oscula,
 14 nulla e sepulchris tracta cadavera
 15 gemmae refulgent, fascinantque
 16 indociles animos popelli.
 17 Non otiosae dedita naeniae
 18 mendica fratrum turba rapacium
 19 passim vagatur, collocatque
 20 femineo insidias pudori.
 21 Sub te licebit Principe libere
 22 Christum fateri, ficta refellere,
 23 mysteriumque veritatis
 24 seposito reserare fuco.
 25 Ergo salutis sollicitum tuae
 26 caeleste numen pervigil excubat,
 27 et impiorum inauspicata
 28 vota facit, retegittque fraudes.
 29 Super dracones fortis inambula,

30 saevam leonum frange ferociam :
 31 per aspides erra et per oras
 32 quas Libycus basiliscus afflat.
 33 Caeli favor te, te pietas tua,
 34 te supplicantium continuae preces
 35 (praedonibus quos ex avaris
 36 eripis) incolumen reducent.

PISTORIS ET PICTORIS DIALOGISMUS.

F_6 v.1 Contendunt specimen pistor pictorque uter edat
 2 pulchrius, hic fuco doctior, ille foco.
 3 Hic fecisse Deum se jactat ; rettulit ille :
 4 "Corpus ego verum, tu simulacra facis."
 5 "Dentibus assidue teritur Deus hic tuus", inquit ;
 6 "Corrodunt ver,es, rettulit ille, tuum."
 7 Pictor ait : "Multos meus integer astat in annos,
 8 saepe una innumeros devorat hora tuos"
 9 "At tibi vix toto deus unus pingitur anno,
 10 pictor ais, decies mille dat hora mihi."
 11 "Parcite, ait mystes, frustra contendere verbis :
 12 nil sine me poterit vester uterque deus.
 13 Et quia utrumque Deum facio, mihi servit uterque :
 14 namque hic mendicat, manditur ille mihi."

AD IDOLORUM CULTOREM.

F_7 v.1 Mane, "Pater noster", cum surda idola salutans
 2 ingeminas, sana mente videre loqui ?
 3 Saxeus illo ipso magis es, me iudice, saxo :
 4 quippe patrem saxum qui fateare tuum.

IN EUNDEM.

F_8 v.1 Oscula, sarta, rosas das et libamina saxo ?
 2 Teque pius dici, cum facis ista, cupis.
 3 Quid tibi pro tanta majus pietate precemur,
 4 quam ut fias nomen tu quoque, quale colis ?

IN HYPOCRITAM QUENDAM.

F_9 v.1 Ille vides naso qui incedit sesquipedali,
 2 qui quicquid loquitur sesquipedale sonat ;
 3 qui longo gaudet voces producere tractu,
 4 qui semper longo syrmate verrit humum ;
 5 qui latus exhaustum non una sindone vestit,
 6 qui capiti inducit pilea plura pilis :
 7 rarus sermo, gravis gressus, talaris amictus,
 8 ut rere, egregii sunt ea signa Sophi.
 9 Sed cur sacrificos gaudet stipare cinaedos ?
 10 Cur sapiens stolidos sic sine fine colit ?
 11 Auctio sectorum cordi est, non actio sectae,

12 donec sector erit, nempe secutor erit.

IN PIUM PONTIFICEM.

F_10 v.1 Vendidit aere polum, terras in morte relinquit :
 2 Styx superest Papae, quam colat, una Pio.

IN JULIUM.

F_11 v.1 Stare diu haud poterant mundusque et Julius una,
 2 omnia perdendi tam ferus ardor erat.
 3 Ergo ne ante diem mundi structura periret,
 4 ad Styga discessit Julius ante diem.

IN PAULUM PONTIFICEM.

F_12 v.1 Paulus ab Hebraeo scis quantum distet Iuda ?
 2 Hic caeli Dominum vendidit, ille domum.

IN PONTIFICES.

F_13 v.1 Praedicat Paulus, contemnit foedera Clemens,
 2 sacrilega tractat Julius arma manu.
 3 Et quisquam sceleris nomen formidat inane,
 4 auctores scelerum qui videt esse deos ?

IN ROMAM.

F_14 v.1 Hi colles, ubi nunc vides ruinas,
 2 et tantum veteris cadaver urbis,
 3 quondam caeca Lupis fuere lustra,
 4 donec per freta vectus Arcas exsul,
 5 pani, pelleret ut Lupos, Lycaeo
 6 Lupercalia festa dedicavit :
 7 nudos currere jussit et Lupercos,
 8 sacrum et collibus addidit Lupercal.
 9 Sed vis insita, contumaxque flecti
 10 pervicit genius laborem et artem,
 11 et per saecula longa ne perirent
 12 istis semina collibus Lupina,
 13 tristes progenuit solum Lupinos,
 14 laetos progenuit Lupos salictum.
 15 Et conjux Lupa Faustulo tyranni
 16 Albani pecoris fuit magistro ;
 17 et qui moenia prima condidere
 18 nutrivit Lupa Romulum Remumque ;
 19 et Floralia festa sunt Luparum,
 20 et quodam in media fuit Suburra,
 21 vico urbis celeberrimo, Lupanar ;
 22 et quos Fabricios graves putabis,
 23 observa, invenies Lupos voraces,

24 et quas Sulpicias reare castas,
 25 observa, invenies Lupas salaces.
 26 Et ne posse deos Lupis carere
 27 credamus, sacer est Lupus Gradivo ;
 28 et Lupos mare laneos, et amnis
 29 sub cryptam mediae vomit Suburrae ;
 30 nec putris soboles araneorum
 31 non cognomine nobilis Luporum est.
 32 Totam denique quantacumque Roma est
 33 nascentem, vegetam excute, et ruentem,
 34 nihil comperies nisi Lupercos,
 35 Lupercalē, Lupos, Lupas, Lupanar.

IN EANDEM ROMAM.

F_15 v.1 Non ego Romulea miror quod pastor in urbe
 2 sceptrā gerat, pastor conditor urbis erat.
 3 Cumque Lupae gentis nutritus lacte sit auctor,
 4 non ego Romulea miror in urbe Lupos.
 5 Illa meum superat tantum admiratio captum,
 6 quomodo securum servet ovile Lupus.

IN EANDEM.

F_16 v.1 Roma armis terras, ratibusque subegerat undas,
 2 atque iidem fines orbis et urbis erant.
 3 Vincere restabat caelum, perfregit Olympum
 4 priscorum pietas aurea Pontificum.
 5 At bona posteritas, ausis ne cedat avitis,
 6 Tartara praecipiti tendit ad ima gradu.

PASQUILLUS LOQUITUR.

F_17 v.1 Esse putas forsā me fragmina trunca columnae,
 2 vel de praecipiti saxa voluta jugo :
 3 falleris. Ille ego sum Pasquillus in urbe Quirini
 4 notus, et in formas impiger ire novas.
 5 Nunc putor inducto Cyllenius esse galero :
 6 me facit aequoreum fuscina sumpta deum.
 7 Adde mihi citharam, fiam manifestus Apollo ;
 8 pampineos thyrsos adde, Lyaeus ero.
 9 Pallada me clipeus, Phoeben facit aureus arcus ;
 10 da fulmen, juno dixerit esse Jovem.
 11 Sum pax, sum bellum, lis et concordia fio :
 12 nunc volucris pennis, num fere tecta pilis.
 13 Denique transiero cuncta in miracula rerum,
 14 sed puero Romae non licet esse mihi.
 15 Hoc quoque ero per purpureos aliquando cinaedos,
 16 si liceat laxas non habuisse nates.

IN DIONEM ET CLEMENTEM.

F_18 v.1 Ebria cum dubio titubans vestigia passu
 2 vix regit, et blaeso blandulus ore sonat ;
 3 cum lacrimis oculique madent, pectusque falerno,
 4 sancte festa Dio se coluisse putat :
 5 sic etenim suasit multos diffusus in annos
 6 ritus ab antiquis usque petitus avis.
 7 At Clemens dum sancta legit monumenta parentum,
 8 dum populo ad caeli limina pandit iter ;
 9 otio legitimo violat dum festa labore,
 10 rite diem festum se coluisse putat :
 11 sic etenim veterum suadent exempla parentum,
 12 oreque veridici prodita jussa Dei.
 13 Utrum igitur laudas ? Quando defendit uterque,
 14 legibus hic, causam moribus ille suam.
 15 Si liceat juste causas expendere, festum
 16 ille colens violat, hic violando colit.

FRATRES FRATERRIMINI.

F_19 v.1 Cum Monachi fratres sint, quos vel candida vestis,
 2 vel nigra, vel gemino mixta colore tegit.
 3 Quanta tamen miseros agitat discordia fratres !
 4 Quam non fraternae foedera pacis amant !
 5 Non ita germanum reducem trux oderat Atreus,
 6 Atrea visceribus non satur ille suis.
 7 Mitius Oedipodae soboles exarsit in iras,
 8 mitior indomitas incitat ira feras.
 9 Eventu o simil cesset fraterna simultas,
 10 et dirimat calvos exitus iste patres !
 11 Dentibus et gladiis in mutua funera currant,
 12 ira nec extremi cesset in igne rogi.

IN PANTALABUM.

F_20 v.1 Dicunt grammatici suos cucullos,
 2 dicunt rhetores horridos cucullos,
 3 et quisquis Latias semel Camenas
 4 vel primis modo contigit labellis.
 5 Sic olim et Venetum poeta dixit.
 6 Verum Pantalabus severus ille
 7 Franciscanus, et horridus sophista,
 8 clamosae et sophiae senex magister,
 9 dicit perpetuo suam Cucullam,
 10 laudat perpetuo suam Cucullam,
 11 per sacram quoque dejerat Cucullam,
 12 per sacram quoque pejerat Cucullam :
 13 suosque edocuit Cuculliones
 14 sacra spem sibi ponere in Cuculla.
 15 Prudens id facit ille, ne quid erres,
 16 non lapsu temerario loquendi,
 17 nec quod sic genus ille femininum
 18 ardet jam miser impotente amore,

19 calvo vertice, languidoque pene ;
 20 sed quod religiosa res sit illi,
 21 cum deest femina masculis abuti.

IN EUNDEM.

F_21 v.1 Si quis jam tremula piger senecta,
 2 morbo, aut vulnere languidus recumbat,
 3 statim Pantalabus sagax odorem
 4 sentit funeris, et cadaver, ante
 5 quam corvique, canesque vulturesque,
 6 et fugacius acribus molossis,
 7 per vestigia certa certus aedes
 8 aegroti petit esuritor audax ;
 9 pulsa conjuge, liberis, propinquis,
 10 ceras delet et oblitit priores,
 11 natos abdicat, occinitque in aurem
 12 morbo desipientis, et senecta
 13 deliri senis, ut caput Cucullo
 14 obducatur, moriatur in Cucullo ;
 15 amorem superum sacrum Cucullum,
 16 timorem cacodaemonum Cucullum,
 17 cuncti delicias poli Cucullum,
 18 id unum canit, urget, orat, instat,
 19 id unum reboat, sonat, tonatque ;
 20 id unum tamen expedire nescit
 21 (negotii quod erat caput) beati
 22 qui sit ut moriamur in Cucullo,
 23 cum nemo bene vivat in Cucullo.

DE MONACHIS S. ANTONII.

F_22 v.1 Diceris, Antoni, porcos pavisse subulcus
 2 vivus, adhuc monachos lumine cassus alis.
 3 Par stupor ingenii est ventrisque abdomen utrisque,
 4 sorde pari gaudent ingluvieque pari.
 5 Nec minus hoc mutum pecus est brutumque suillo,
 6 nec minus insipidum, nec minus illepidum.
 7 Cetera conveniunt, sed non levis error in uno est,
 8 debuit et monachis glans cibus esse tuis.

IN QUENDAM PRAESULEM.

F_23 v.1 Cum te mula vehit nihilo te indoctior ipso,
 2 et nitet, ut par est, murice uterque pari.
 3 Quod non te proceresque colant, et vulgus adoret,
 4 "Presbyteris, clamas, nullus habetur honos."
 5 Non tum cessat honos, praesul cum spernitur excors,
 6 sed cum regnat "onos", tum male cessit honos.

IN PANTALABUM.

F_24 v.1 Vis te miremur, putri quod verme cucullo
 2 undante absumpta viscera pelle patent.
 3 Impia quod stolido vendas mendacia vulgo,
 4 quod laudet nugas plebs male sana tuas ;
 5 quod male dum cantas, quos non intelligis, hymnos,
 6 rancida de balba sibila nare sones ;
 7 quod tribus Anticyris caput insanabile radas,
 8 quod bibat immundam calceus udus aquam ;
 9 quod tunicam fluxam nodosa cannabe cingas,
 10 cum melius fauces stringeret illa tuas.
 11 Miramur certe, sed non cum deside vulgo,
 12 sed velut Harpyias, Gorgonas aut Furias.

FRATRES EXTRA MUNDUM.

F_25 v.1 Pene, manu, lingua, fratres munda omnia foedant,
 2 in mundo merito sese habitare negant.

IN PETRUM GONELLUM DOMINICANUM.

F_26 v.1 In vino audivit verum latitare Gonellus,
 2 sesquipede extento pinguis aqualiculo.
 3 "Sicne, ait, in nugis frustra consumpsimus annos,
 4 et tulimus tetricae jurgia lenta scholae ?"
 5 Ergo vale sterilis veri Sorbona, tuumque
 6 accipe discipulum docta taberna novum.
 7 Ex illo ad crassam scrutatur dolia faecem,
 8 pervigil et noctes perbibit atque dies.
 9 Tandem consumptis fecunda in pocula nummis,
 10 hoc veri invenit : "Nil scio, nil habeo."
 11 Solandoque sui lepide ludibria damni,
 12 Socrate se jactat non minus esse sophon.

IN EUNDEM.

F_27 v.1 Cum vetus effuso biberetur milite vinum,
 2 nec fore maturum spes foret ulla novum,
 3 immatura pater biberat ne vina Gonellus,
 4 matura Stygias morte petivit aquas.

ADVENTUS IN GALLIAM.

F_28 v.1 Jejuna miserae tesqua Lusitaniae,
 2 glebaeque tantum fertiles penuriae,
 3 valete longum. At tu, beata Gallia,
 4 salve, bonarum blanda nutrix artium,
 5 caelo salubri, fertili frugum solo,
 6 umbrosa colles pampini molli coma,
 7 pecorosa saltus, rigua valles fontibus,
 8 prati virentis picta campos floribus,

9 velifera longis amnium decursibus,
 10 piscosa stagnis, rivulis, lacubus, mari ;
 11 et hinc et illinc portuoso littore
 12 orbem receptans hospitem, atque orbi tuas
 13 opes vicissim non avara impertiens ;
 14 amoena villis, tuta muris, turribus
 15 superba, tectis lauta, cultu splendida,
 16 victu modesta, moribus non aspera,
 17 sermone comis, patria gentium omnium
 18 communis, animi fida, pace florida,
 19 jucunda, facilis, Marte terrifico minax,
 20 invicta, rebus non secundis insolens,
 21 nec forte dubia fracta, cultrix numinis
 22 sincera, ritum in exterum non degener ;
 23 nexcit calores lenis aestas torridos,
 24 frangit rigores bruma flammis asperos,
 25 non pestilentis pallet Austri spiritu
 26 autumnus aequis temperatus flatibus,
 27 non ver solutis amnium repagulis
 28 inundat agros, et labores eluit.
 29 Ni patrio te amore diligam, et colam,
 30 dum vivo, rursus non recuso visere.
 31 Jejuna miserae tesqua Lusitaniae,
 32 glebasque tantum fertiles penuriae.

BRASILIA.

F_29 v.1 Africa deseritur, miles mendicat egenus,
 2 vi sine tuta fugax oppida Maurus habet.
 3 Accipit obscaenos Brasilia fusca colonos,
 4 quique prius pueros foderat, arva fodit,
 5 qui sua militibus tollit, dat rura cinaedis,
 6 jure sub adverso nil bene Marte gerit.

IN COLONIAS BRASILIENSES, VEL SODOMITAS A LUSITANIS MISSOS IN BRASILIAM.

F_30 v.1 Descende caelo turbine flammeo
 2 armatus iras, Angele, vindices,
 3 libidinum jam notus ultor
 4 exitio Sodomae impudicae.
 5 En rursus armis quod pereat tuis
 6 lustrum Gomorrhae suscitatur aemulum,
 7 Syrum propago, et exsecrandae
 8 spurcitiae renovat palaestram.
 9 Pars ista mundi, quam sibi propriam
 10 sedem dicavit mollis amoenitas
 11 luxusque, sub foedis colonis
 12 servitium tolerat pudendum.
 13 Abominandis arsit amoribus
 14 strigosus aestu, pauperie et fame,
 15 glandis vorator, virulentum
 16 et raphanis redolens odorem.
 17 Quem, rere, ponet nequitiae modum,
 18 frenis libido libera ? Et insolens

19 humanioris ferre victus
 20 illecebras meliore caelo ?
 21 O Christiani infamia nominis !
 22 O foeda labes et nota temporum !
 23 O turpium turpisque causa, et
 24 exitus, et pretium laborum !
 25 Ignota rostris verrimus aequora,
 26 gentes quietas sollicitavimus
 27 terrore belli, orbisque pacem
 28 miscuimus misero tumultu.
 29 Per ferrum et ignes et mare naufragum
 30 secreta rerum claustra refregimus,
 31 ne deesset impuris cinaedis
 32 prostibulum Veneris nefandae.
 33 Gens illa nullos mitis in hospites,
 34 et ora victu assueta nefario,
 35 portenta conspexit Cyclopum
 36 sanguinea dape foediora.
 37 Nunc Scylla saevos exsere nunc canes,
 38 nunc nunc Charybdis vortice spumeo
 39 convolve fluctus, et carinas
 40 flagitiis gravidas resorbe.
 41 Aut hisce tellus in patulos specus,
 42 aetherve flammis perde sequacibus
 43 turpes colonos, Christianae
 44 dedecus opprobriumque terrae.

IN ANTISTITEM QUENDAM.

F_31 v.1 Esse Lutheranum rumor te, Posthume, clamat ;
 2 sed tuus antistes te tamen esse negat.
 3 "Tam scortaris, ait, quam si vel episcopus esses,
 4 et potas dubiam pervigil usque diem ;
 5 nec memor e Christi, nisi cum jurare libebit,
 6 nec scis Scripturae vel breve iota sacrae."
 7 Nempe per haec suevit numquam fallentia signa
 8 ille vigil sanas noscere pastor oves.
 9 Quisquam igitur dubitat, rumorne an Episcopus erret,
 10 tam bene commissam qui sibi novit ovem ?

IN CODRUM

F_32 v.1 Ille senex civis, rigidique exemplar honesti,
 2 Codrus, heri parvo conditus est tumulo.
 3 Sed neque funereae praecessit naenia pompae,
 4 pensilibus signis nec nituere faces ;
 5 lurida nec pullam sumpsit cognatio vestem,
 6 tinnula nec maestos aera dedere sonos ;
 7 funera nec densae celebrarunt agmina turbae,
 8 praefica nec luctum sollicitavit anus :
 9 vix datus est tumulus. Codrum si rere fuisse
 10 forte Lutheranum, fallere : pauper erat.

IN CHRYSALUM.

F_33 v.1 Flava Ceres longi spes interceperat anni,
 2 aruerat pigro vinea tosta gelu ;
 3 morbus oves rapuit, furto periere capellae,
 4 inter opus fracti succubuere boves ;
 5 plena domus belli subita est dirupta tumultu,
 6 et male celatas latro refodit opes.
 7 Ergo opibus caris cum Chrysalus esse superstes
 8 nollet, et in laqueum jam sua colla daret.
 9 Succurrit laqueum nummis venire quaternis :
 10 "Ergo nos gratis nec moriemur, ait."
 11 Ensis adest, stricto transfigere pectora ferro
 12 dum parat, et sumptus hic quoque adesse videt :
 13 "Tanti fossor, ait, tanti vespillo, sacerdos,
 14 cereus, et tanti cymbala rauca crepant ;
 15 et precibus pretium est etiam, pretiumque sepulchro" ;
 16 ergo placet rapidis mergere corpus aquis.
 17 Dumque cadit : "Certe quamvis mare, dixit, avarum es,
 18 attamen hic gratis, credo, jacere licet."

SOMNIUM.

F_34 v.1 Mane sub auroram nitidae vicinia lucis
 2 pallida venturo cum facit astra die,
 3 artior irriguos somnus complectitur artus,
 4 demulcens placido languida membra sinu.
 5 Cum mihi Franciscus, nodosa cannabe cinctus,
 6 astitit ante torum, stigmata nota gerens.
 7 In manibus sacra vestis erat, cum fune galerus,
 8 palla, fenestratus calceus, hasta, liber ;
 9 et mihi subridens. "Hanc protinus indue, dixit,
 10 et mea dehinc mundi transfuga castra subi.
 11 Linque voluptates cum sollicitudine blandas,
 12 vanaque continui gaudia plena metus.
 13 Me duce, spes fragiles et inanes despice curas,
 14 et superum recto tramite limen adi."
 15 Obstupui subita defixus imagine, donec
 16 vix dedit hos tandem lingua coacta sonos.
 17 "Pace, inquam, vestri liceat depromere verum
 18 ordinis, haud humeris convenit ista meis.
 19 Qui feret hanc vestem, fiat servire paratus ;
 20 at mihi libertas illa paterna placet.
 21 Qui feret hanc, ponat restricta fronte ruborem,
 22 at non ingenuus non sinit ista pudor.
 23 Qui feret hanc, fallat, palpet, pro tempore fingat ;
 24 at me simplicitas nudaque vita juvat.
 25 Nec me Phthiriasis, nec rancida cantio terret,
 26 inque diem ignavae vivere more ferae ;
 27 ostia nec circum magno mugire boatu,
 28 si tamen his nugis aetheris aula patet.
 29 Pervia sed raris sunt caeli regna cucullis :
 30 vix monachis illic creditur esse locus.
 31 Mentior, aut peragra saxo fundata vetusto
 32 delubra, et titulos per simulacra lege :

33 multus honoratis fulgebit episcopus aris,
 34 rara cucullato sternitur ara gregi.
 35 Atque inter monachos erit haec rarissima vestis :
 36 induat hanc, si quis gaudeat esse miser.
 37 Quod si tanta meae tangit te cura salutis,
 38 vis mihi, vis animae consuluisse meae ?
 39 Quilibet hac alius mendicet veste superbus ;
 40 at mihi da mitram, purpureamque togam."

PALINODIA.

F_35 v.1 Visus eram nuper caeli procul aurea supra
 2 sidera Gorgoneo scandere vectus equo,
 3 qua secat in geminas orbem via lactea partes,
 4 et Jovis ad magni limina pandit iter.
 5 Fas mihi sit mundi referare arcana latentis,
 6 fas mihi sit vera pandere visa fide.
 7 "Non ego Phlegraeis venio speculator ab armis,
 8 rursus ut attonitum terreat Ossa polum ;
 9 nec mihi furtivae damnarunt crimina flammae
 10 viscera, Caucasaeis dilanianda feris ;
 11 nec mea garrulitas sacrae male conscia mensae
 12 in refugo meruit flumine ferre sitim.
 13 Sacra fero, miranda cano, memoranda revolvo,
 14 ut colat aeternos impia turba deos.
 15 Rursus ut ingrato superum clementia mundo
 16 nota sit, et quisquis numina novit, amet.
 17 Ergo ubi siderei steteram prope limina templi,
 18 explicuit fulvas regia vasta fores."
 19 En subito duri me iudicis ante tribunal,
 20 increpitans magno murmure, turba trahit.
 21 Rasmus erat vertex, facies irata minaxque,
 22 et brevior tristi barba supercilio.
 23 Omnibus unus erat cinctus, color omnibus unus,
 24 qui solet esse asinis anseribusque feris ;
 25 qui color in salice est, et Palladis arbore, qualem
 26 hospita Threicii gurgitis ales habet.
 27 Et nisi fluxa sinus talos penderet ad imos,
 28 cercopithecorum penula vestis erat.
 29 Idem cinctus erat, cultus, vultusque colorque
 30 iudicis, et paribus frons caperata minis ;
 31 uno aliis dispar discrimine, quod foret acri
 32 aut stimulo spinae sanguinolenta manus ;
 33 aut rigida forsitan nimis obluctante puella,
 34 femineae palmas cuspide fixus acus.
 35 Is quassans caput, et suffusus lumina flamma,
 36 irato tales fudit ab ore sonos :
 37 "Tune, ait, in nostros ausus blaterare sodales,
 38 nil veritus calvos tot violare senes ?
 39 Prodere nec populo mysteria nostra profano,
 40 sanctaque funerae spernere jura togae ?
 41 Lignipedes ridere patres, sanctamque coronam,
 42 et mendicatos absque pudore cibos ?
 43 Quid cum fratre soror clausa sine lumine cella,
 44 quid tiro imberbis cum seniore gerat ?

45 Frustra pontifices caelo nos aequa potestas,
 46 frustra nos regum sceptrata verenda timent :
 47 si tibi fas nostrae est impune illudere sectae,
 48 si plebs exemplo sollicitata tuo
 49 rideat, exserta comitetur sannio lingua,
 50 perque vias digiti stulta juvena notet.
 51 Vos, age, quid statis ? Scelerato auferte lacernam,
 52 ur vitium linguae cetera membra luant."
 53 Nec mora, diripiunt fratres a pectore vestes,
 54 sectaque nodosa cannabe terga notant.
 55 Alternant vices, et acerbant verbera verbis,
 56 verba oculis, oculos nutibus atque minis.
 57 Dum feriunt, numerant ad singula verbera divos,
 58 grata foret cunctis ceu mea poena deis.
 59 Nec mea carnifices fratres lassant mala, quamvis
 60 deficerent divi, deficeretque dies.
 61 Perdiderat rabiesque modum, plagaeque figuram,
 62 atque unum in toto corpore vnum erat.
 63 Talis erat, si vera fides, Hieronymus olim,
 64 dum studium ob Tullii vapulat ante deum,
 65 sic cute direpta satyrum videre Celaenae,
 66 tibia cum blandae est victa canore lyrae.
 67 Ut primum fari licuit, meque ipse recepi
 68 nudus, et in nuda sanguinolentus humo,
 69 clamabam : "Nunc parce, pater, nunc parcite, fratres,
 70 caede mea sanctas conscelerare manus.
 71 Parce pater : sic ille sacer Seraphicus ordo
 72 floreat auspiciis sanctior usque tuis ;
 73 sic mendicantum genti turba inscia veri
 74 affluat, et numquam credula desit anus ;
 75 vestra nec incauto pateant mendacia vulgo,
 76 nec videat crassos plebs tunicata dolos ;
 77 et nova sub patribus tironum turba severis
 78 inveniat quastus ingeniosa novos ;
 79 seu male lustratis manes exire sepulchris
 80 fingere, seu tacita somnia nocte libet ;
 81 relligio nubes animis offundat agrestum,
 82 objiciat tenebras sancta Laverna suas.
 83 Quaeque vident oculi se non vidiisse reantur,
 84 deque fide facti sit dubitare nefas.
 85 Quod si forte sacra lateat sub veste puella,
 86 quae relevet longae taedia lenta viae,
 87 aut tenuet multa crassum farragine corpus,
 88 si caro spiritui quando rebellis erit ;
 89 callida decipiant animos commenta profanos,
 90 et vetet ulterius quaerere velle timor.
 91 Fallat et incautos pietatis imago maritos,
 92 et capiat faciles sicula tenta nurus.
 93 Sic tibi, si quando junges per stagna, lacusque
 94 cum ranis socias alitibusque preces,
 95 nulla tuum superet cornix vel rana canorem,
 96 oreve praecipitet mobiliore sonos.
 97 Sive tibi pulex, fraterve pediculus obsit,
 98 et tenuem signet pustula multa cutem,
 99 innocuos unguis utriusque a sanguine serves,
 100 neu tibi cognata pollue caede manus,

101 sed tua fraterno pietas dignetur amore
 102 ut solita est vulpes carnivorosque lupos ;
 103 et quibus indulsit vitam pater omnibus idem,
 104 sive ferat tellus, seu ferat illa fretum,
 105 mortua tu comedes animalia, culpa profani
 106 sit populi iis vitae corripuisse moras.
 107 Quaecumque in fratrem fratrum convicia vestem
 108 non verita est olim fundere lingua procax.
 109 Cuncta recantabo, maledicta priora rependam
 110 laudibus, et fratrum nomen in astra feram.

PALINODIA.

F_36 v.1 Vobis relligio est sincero assuescere recto,
 2 relligio est Christi facta fidemque sequi ;
 3 raraque simplicitas, et rara modestia vobis,
 4 et virtus rara est, et probitatis honos ;
 5 fastus inauditus, nullaque libidine victum
 6 robur, nec duro fracta labore manus :
 7 classica non placidos turbant Mavortia somnos,
 8 nil opus insano verba locare foro ;
 9 semina non arvo, non vitem credere sulco,
 10 nec dare nubifero vela necesse Noto ;
 11 sed veluti mures alieno parta labore
 12 carpitis, et vitam dicitis angelicam.
 13 Vos chorus, et cantus, nitidi vos floribus horti,
 14 cinctaque porticibus tecta superba tenet.
 15 Quicquid ubique labor per dura pericula quaerit,
 16 quod clam fur aufert, latro palamve rapit ;
 17 vos penes est fructus, penes est vos usus et esus,
 18 ad dominos redeunt damna, pericla, dolor ;
 19 copiaque et luxus vobis in paupere vita est,
 20 nil est, et superant multa, nihilque deest.
 21 Vos pro me misero fratres orate, patremque
 22 flectite, pro vobis sic roget ille deum,
 23 sic flectat ; nos interea, quod possumus unum,
 24 facta recantatis splendida carminibus
 25 dicemus : tenerae nec furta silebo juventae,
 26 addita nec manibus stigmata, nec pedibus,
 27 et quae longa forent numeranti singula ; at unum
 28 non est fas numeris praeteriisse meis."
 29 Forte furens male morigeri petulantia membri
 30 urebat patrem saevius igne pium.
 31 Quid faceret peteret sanctarum claustra sororum ?
 32 Claustra procul, nusquam sancta propinqua soror.
 33 Vulgivagum peteret populo spectante lupanar ?
 34 Nequitiae fieret proditor ipse suae.
 35 Eloquio matres blando tentaret honestas ?
 36 Ferre nequit longas sicula tenta moras.
 37 Ergo velut taurus crabronum cuside fixus,
 38 corripuit, rabies qua stimulabat, iter.
 39 Nudus et in gelida stratus nive membra volutat,
 40 et fingit globulos, perterebratque nivem,
 41 imponitque suo veluti collaria peni,
 42 et jubet optata condicione frui.

43 "Haec, ait, Aemilia est, haec est generosa Corinna,
44 haec illa est longis Gellia flava comis.
45 Deinde alias numerat praestanti corpore nymphas,
46 nomine formosae nulla corona caret ;
47 tum, veluti Cossus spoliis insignis opimis,
48 per fora, per vicos victor amoris ovat.
49 "Parcite, clamabat, me parcite dicere sanctum,
50 non ego sum, ceu vos creditis esse, pius.
51 Sum miser, et merito duro sic plector ab hoste,
52 nequitiae poenas persoluoque meae."
53 Pene coronato populus dum spectat ovariantem,
54 hic silet, hic risu personat, ille dolet.
55 At miserae matres, nuptae innuptaeque puellae
56 a lacrimis siccas non tenuere genas.
57 Illa quidem justis res annumeranda triumphis
58 inter facta pii prodigiosa patris,
59 quod quamvis asinis membrosior omnibus esset,
60 et venerem in nulla perdomuisset equa,
61 tot tamen haud multis mulos genuisset in annis,
62 quot nec in umbriferis Maenala celsa jugis.
63 Ut pater audivit sancti praeconia membri,
64 laetior ad laudes jam meliorque suas,
65 arrisit, tremulosque abiit prurigo per artus,
66 et me cum somno deseruere minae.